

eadem responsionum aequalitate qua totum illud carmen compositum est quamque ipse Hermannus et alibi restituit et versu 1036. inserta post Xerxis haec verba, *αἰακτὸς ἐς δόμους κίε*, chori eiulatione *αἰαῖ, αἰαῖ*. Verum quum Hermannus hanc rem in eis quae de Persis commentatus erat nusquam attigisset, etsi putavi non improbasse eum illam emendationem, sed quadam oblivione neglexisse, tamen ne hic quidem quod deesse videretur supplere volui, sed accurate secutus sum carminis illius exemplar quod Hermannus ineunte anno MDCCCXLII. sua manu exaraverat.

Codicum in quibus Aeschyli tragoediae perscriptae essent Hermannus praeter Escorialensem Supplicum et duos Augustanos, quorum alter Prometheum, alter Septem adversus Thebas continet, usus est nullis quorum alii homines docti non habuerint notitiam; sed usus est partim accuratius collatis.

Eorum librorum omnium principem locum tenere constat

*M. Mediceum* sive rectius *Laurentianum*: est enim bibliothecae Laurentianae plutei XXXII. codex 9. Continet Sophoclis quae exstant tragoedias, deinde Aeschyli Persas, Agamemnonem, Choephoros, Prometheum, Eumenides, Septem adversus Thebas, Supplices, postremo Argonautica Apollonii Rhodii. Membraneus est, quadratus, scriptus saeculo decimo vel undecimo. Non multo recentior manus et scholia litteris uncialibus adscripsit et minoribus litteris post Supplices vitam Aeschyli fabularumque indicem addidit et in ipsis Aeschyli versibus multa mutavit. Ea manus in adnotationibus secunda dicitur. Postea saeculis quarto decimo et decimo quinto eundem librum aliae manus interpolaverunt; quae a secunda manu recentiorum nomine distinguuntur. Atque hunc quidem librum omnium optimum Ioannes Franzius (*Oresteae* p. 307. seq.) integrum etiamtum fuisse putavit quum eis schedis sive foliis quae Aeschyli fabulas continebant numerorum notae quas Arabicas dicimus adscriberentur, quod posteriore parte saeculi quinti decimi factum esse argumentis minime certis demonstrare studuit: nunc haec folia desunt, 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 26. 27. 28. 29. 30. 31. servatum autem est folium 25. hoc est, ut Niebuhrius Hermannum edocuit, inter quaterniones totius codicis *ιζ'* et *ιθ'* (ita enim Graecis litteris quaterniones in summo margine primae cuiusque paginae notati sunt) periit totus